PALLUCCI

Z

RATIO
FACILIS ATQUE TUTA
NARIUM
CURANDI
POLYPOS.




VIENNÆ,

TYPIS ET SUMPTIBUS JOANNIS THOMÆ TRATTNER
CÆS. REG. MAJ. AULÆ TYPOGRAPHI ET BIBLIOP.

M. DCC. LXIII.





L. S. D.

NAT. JOSEPH. PALLUCCI...,



Nonus labitur annus, ex quo perutilem hanc, Polypos curandi Narium, excogitavi, adhibuique Methodum. Primum omnium innotuit Illustriss. Lib. Bar.

van Swieten, cui & ea cessit, quam suo calculo comprobarit; postmodum novere, qui Viennæ præstant medici, ægrisque commendarunt: Inter exteros vero, testem, ac laudatorem habuit præclarum Gillot, Medicæ Facultatis Parisiensis Doctorem, qui hac in Civitate principe, dum penes Regis Galliarum Legatum degeret, ægros mea sub cura invisere, ab annis jam restitutos expendere, gratulari mecum, humanissimè voluit; Id & eximius de Livernet, Chirurgus Parisiensis.

Cur vero hanc ipſam Methodum evulgare diſtulerim, iis maxime ſuadentibus, queis obſequi laus erat, de induſtria id factum velim putes, ut quæ nova curatio Polypi, ratione, & experientia, præ cæteris bona ſuadebatur, frequentia, & varietate caſuum vel optima probaretur.

Quam igitur in tui commodum adinveni, perfecique Rationem curandi Polypum, eammet, prout revera iteratis curationibus faciliorem, tutiorem, ac præ aliis innocentiorem ſe

prodiit, grato, quo ſoles, animo ſuſcipe; nec non ulteriores conatus tuo, vel ipſe favore, benevole Lector favere perge.



CA-



CAPUT I.

Quid ſit, qua cauſa, quaque lege naribus innaſcatur Polypus.



Diriſſimis morbis, quibus teritur vita mortalium, accenſetur & Polypus, Polypus inquam Narium; quem, prout inſpectes, ſive relate ad partes, quas occupat, ſive ad functiones, quas impedit, id morbi genus facile noſces, quod ſymmetriam turpiter lædat, reſpirationi obſit, chylum pervertat, indeque (ne memorem inflammationes, immaneſque dolores, Po-

lypum, qui malignæ ſit indolis, concomitantes) quod demum Cacochymiam inducat, mortem inferat.

Enimvero Narem, cui interne adnaſcitur Polypus, indecore diſtendit, impedimento eſt, ne per eam reſpiratio fiat, vocem obſcuram, & inter dormiendum ſtertorem facit, olfactum adimit, guſtumque obtundit, nec non reliqua graviora, quæ exinde ſubſequuntur incommoda, excitat: quandoquidem coacti ægri os continue apertum habere, ut inde, narium occluſa via, ſpiritum trahant, emittantque, nulli dubium, quin externus aer in os, diu, noctuque patulum, illabens, tenuiores, quos evehere poteſt, humores ſecum rapiat,

unde

unde faucium exſiccatio , tenacioribus vero, qui remanent in cruſtam, veluti paſtaceam abitis, glandulas jam inde ſalivales oblitas , obtectaſque , ne libere fluant , ſenſiles vel nervorum papillas implexas, atque obtuſas, probe intelligimus. Quamobrem humore ſubtiliore, qui ingeſtis commiſceri debuiſſet, defraudato chylo, craſſior hic, minuſque vaſis lacteis ineundis aptus evadit, ut inde univerſa corporis œconomia turbetur, inducaturque Cacochymia, prout ſæpenumero obvenire poſſe, & ratio, & exempla demonſtrant.

Pejora adhuc timenda ſuperſunt , ubi Polypi ea ſit luxuries, qui adeo creſcat enormiter, ut per poſteriores Narium

aperturas in ufque guttur defcendat: tum enim præter alimenta, quæ impedit deglutire, fpiritum intercipit, atque, ut verbis utar ipfius Celfi, homines ftrangulat.

In defcribendo Polypo variant quidem authores: videtur Hippocrati gurgulioni affimilandus, id quod non immerito; quandoquidem diducta Nare, ea cernitur fubftantia Polypi rubra, teres, oblonga, ac illa fit gurgulionis, eoque mobilis in Polypo, qui benignæ fit indolis, apparet, ut prout fpiritus vel emittitur, vel attrahitur, egrediatur, regrediaturque vel Polypus.

Alii dixere Polypum (a πολυς, & πȣς), ac fi pluribus conftaret pedibus,

feu

ſeu radicibus, quemadmodum de marino Polypo verum eſt: at hæc Narium Polypi deſcriptio minus certe veritati conſona videtur; cum jugi obſervatione, tam in vivis, quam in mortuis iterata, compertum ſit, unica tantummodo radice, quæ ſarmentum dici poſſet, Narium parietibus adhærere.

Hinc, ſi quæ ſit piſcem Polypum inter, & hanc morbi ſpeciem analogia, ex ea inferenda videtur, qua piſcis Polypus gaudet facultate, ſciſſas nimirum ſibi partes ubique reproducendi, prout funeſtiſſime quidem hac ferme ipſa facultate pollet Narium Polypus, qui, ubi maxime non ea, qua par eſt, methodo curatur, citiſſime recreſcit.

No-

Nobis vero quadrat Narium Polypi definitio: quod ſit præternaturalis productio ſubſtantiæ æmulæ carni, Naſi cavitatem, vel unicam, vel utramque opplens. Hæc ſi anatomice examinetur, apparet ubique fibris, atque lamellis compoſita, eoque compactior, quo vetuſtior Polypus; licet exterius rubella, intus vero, ut plurimum ſubflava eſt. Præter nonnullos ſulcos, qui Polypi meditullium fere occupant, nulla alia ſymmetrica vaſorum ſtructura donari videtur. Obvenit inde, quod ejuſmodi ſubſtantia, à nonnullis caruncula, ſarcoma, hyperſarcoma etiam vocata, nunquam vero pro carne, proprie dicta, atque perfecte organizata, ſed tanquam

ſpu-

ſpuria, ac veluti naturæ luſus habenda.

Referret diriſſimi hujuſce morbi cauſas agnoſcere, præterea leges intelligere, quibus ſpuria hæc innaturalis, atque morboſa caro naturalibus partibus, narium videlicet parietibus adhæreat: Verum non ſinit inſtituti ratio hac in indagine hærere diu. Tantummodo, quæ experientia ſuppeditat intellectui, hæc, ſi quo modo ad artis emolumentum, ac miſerorum commodum conferre poſſunt, candide dicam.

Authorum communis opinio eſt, maxime Cl. Heiſteri, oriri Polypum ex membrana pituitaria, ubi una, alterave ipſius glandula obſtructa ſit, quæ ſenſim

ex

ex noxiis affluentibus humoribus præter naturæ ſymmetriam augeatur. Porro ex hac opinione conſequitur, ut Polypus, de quo ſermo inſtituitur, nihil aliud ſit, quam quædam morbida glandularum, & ſpongioſæ ipſiuſmet pituitariæ membranæ expanſio, atque prolongatio; cui excitandæ, tanquam cauſæ internæ promoventes, concurrant humores viſcidi, qui prout in præfatæ pituitariæ vaſculis hærent inſpiſſati, tumorem, Polypum dictum producant; cauſis vel externis, ut plurimum accedentibus, uti ſunt lapſus, ictus, unguium affrictus, & id genus alia.

Plura obſtant, quo minus ejuſmodi opinioni aſſentiri valeamus; ſuadentibus

præ-

præprimis ſenſibus, ne ulli alteri ſubſtantiæ, quam ſanguini, & viſcido appellenti humori cauſam, cum internam excitantem, tum materialem & efficientem Polypi attribuamus. Id maxime, cum nudis oculis identidem videre contingat, ex ſolo affluente ſanguine oriri Polypum, abſque eo quod vel minimum veſtigium, ac lineamentum ipſo in Polypo videre detur partium organicarum, præexiſtentium, unde liceat inferre, glandularum expanſarum, nec non membranæ pituitariæ ſubſtantiam ad ejus formationem concurriſſe. Rem ita ſe habere, ſequens, qui (omiſſis aliis) af fertur caſus mirifice probat.

Femina Viennensis, fortunæ bonis satis donata, ætatis suæ quadragesimum attingens annum, temperamento sanguinea, uti rubor faciei, aliaque signa testabantur, succis vero mediocriter referta, ac narium hæmorrhagiis valde obnoxia, instantibus maxime catameniis; initio anni 1754. me convenit, ut sibi laboranti Polypo, ab hæmorrhagia ante triennium enato, dexteramque narem, summa cum ægræ molestia, penitus opplente, succurrerem.

Polypus alte infixus, colore subrubens, indolens, ac flexilis erat.

Vulgarem Chirurgorum extirpationem, quæ volsella, seu forcipe tentari solet, ipse reformidans, è re duxeram præferen-

ferenda media, quæ ſolertiſſimi Levret induſtriæ accepta referimus. Aſt cum horum applicatio hac in circumſtantia nec minimum haberet locum, nolens, volens, dum improbæ ipſe methodo me committo, majori, quoad fieri poſſit diligentia, Polypum intra volſellam abreptum, eumque blande inverſum, brevi tandem integrum evelleram. Cœpit illico vehemens ſanguinis diſtillatio, quæ nullatenus ſiſti potuit, quin prius, aperta Saphena, potenter à Capite revelleretur.

Biduo effluxo, remotiſque turundis in Narem pridem inductis, lætabamur, eam penitus evacuatam, atque liberam oculis inſpicere. Interim cum vehementi ſternutandi ſtimulo excieretur, nec ſe

valeret ægra compeſcere, iterum ſanguinis extillatio; unde, & obſcurius vocem emitteret, ac fleret miſera, ne novo Polypo corriperetur.

Admoto ipſe lumine dum narem introſpicio, en totam grumo ſanguinis repletam video. Studui pro poſſe ægræ animum erigere, ſpemque feci, & hunc abiturum, quem tamen exerere auſus non eſſem, cohibente me adhuc majoris hæmorrhagiæ periculo. Id conſilii cœpi, ut turundulas, vitrioli cœrulei diſſolutione madidas, in antrum naris, prout ſpatium ferebat, immitterem, faſciamque adhiberem. Exin quietem, atque diætam ægræ commendans, abivi.

Et-

Etsi turundula diu, noctuque adesset in nare, haud tamen impediri potuit, quin novus Polypus citissime erumperet: vix enim altera hebdomade effluxa, ac æque grandis, ut prior, inspiciebatur Polypus; qui quidem initio ruberrimus, albescebat indies, quæque in ejus superficie eminebant vesiculæ, brevi lapso tempore adeo exinanitæ, atque disperditæ, ut tota inde enati Polypi superficies tersa, & nitida videretur.

Oportuit novum Polypum removere, quippe qui quam molestus. Noviter extractum in vitrum injeci, aquam puram superaffudi, dein, & nitri dosis, prout in aqua solvi poterat; aquæ volumen, ut Polypus quodammodo innataret,

frequenter agitando. Vitrum denique charta texi, atque adjecto ligamine exacte clausi.

Sexto ab immersione die, in albam mucositatem abiit Polypus, inque fundo vitri subsedit.

Altero istiusmodi abrepto Polypo, nec misera alleviabatur: bimestri namque vix emenso spatio iterum adiit me, Polypum æque grandem, ibidem & loci natum, perdite dolens. Narravit, & hunc lenta ex hæmorrhagia incepisse. Tertio, & hoc Polypo, quem in spiritu vini suspensum asservo, feminam liberavi, in qua vero, prout tanta ad sanguinem fundendum inerat dispositio, miraque adeo ad coeundum ipso in sanguine dia-

diathesis, fuit sane, quod Polypum recidivum merito timeremus.

Tristem casum viderat, ejusque una mecum miserebatur Ill. v. Kesler Augustiss. Archiater. Mihi vero haud novus contigit, qui in amplissimis nosocomiis, quæ ad decennium Florentiæ Patriæ, atque Parisiis frequentaram, etiam, atque etiam simillimos animadverteram. Quinimo nec absimilem arbitror, quem celeberimus Heisterus refert (Inst. Ch. Cap. de Polypo narium) hisce verbis: Femina nobilis, narium hæmorrhagiis obnoxia, post subito suppressam hæmorrhagiam, caruunculam carneam in sinistra nare sensit.

Hæc, & relata feminæ Viennensis historia, præter alios, quos brevitatis ergo casus referre omittimus, ejusmodi plane esse videntur, quæ omnes, quoad genensim Polypi, excutiant tenebras, idque luminis affundant, relate ad causas Polypum producentes, ut plane mirari subeat, adeo invaluisse opinionem, quæ inflatis glandulis, elongatis vasis, relaxatæ, atque expansæ membranæ pituitariæ productionem Polypi attribuit. Nam præterquam quod in educto, atque anatomice inspecto Polypo nil horum ullatenus deprehendatur, vix unquam concipi potest, quomodo brevi adeo tempore ex commenta prolongatione, atque dilatatione, quavisque etiam alia præten-

tenſa partium degeneratione formetur Polypus? cum hæc omnia longe diuturniori temporis intervallo indigeant, ut contingant, ac requirat Polypus, magnam ſæpenumero in molem ut excreſcat.

Hiſce ſedulo expenſis, conſultius duximus Polypi ſubſtantiam, ejuſque geneſim, prout ſenſibus magis obviam, ac familiarem, à ſola ſanguinis confluxa, & concreta materie repetere, ab ea (inquam) ſanguinis materia, quæ in formam animalem interne ſubacta, ac intimius perfecta, ac prædiſpoſita, vel dum foras erumpit extra vaſa, ſuam indolem, nempe phyſicas, quas à natura vires ſortita eſt, tueri capax, eam, qua pollet in maſſam aliquam informem, ac

ſpurio-carneam cœundi, facultatem exerit in Polypo.

Duo plane ſunt, ſi quæ forte admirationem aliquam, atque difficultatem parere poſſunt: aſſerta metamorphoſis, qua materia ſanguinis in maſſam ſpuriocarneam abit in Polypo; præterea indoles illa, aut phyſicæ vires, queis inſtructa materia ſanguinis, in Polypum valet concreſcere. Aſt nonne ingeſta quæque omnia, olera, legumina, carnes igne paratas, aliaque id genus multa abeunt in ſanguinem? Porro ſi quæ ſit relatio hæc inter, & ſanguinis ſubſtantiam, lubeat inveſtigare, nullus eam, vel lincæus oculus deprehendet; continua vero alimentorum in ſanguinem metamorphoſis adimit

mit ſtuporem; aut ſi quæ ſubeat admiratio, eos afficit, qui maxime ingentem naturæ apparatum, quo tantum ipſa operis molitur, & perficit, probe noſcunt.

Aſt corpus animale præfatis alimentorum generibus nutritur, jacturis reparatur, augmenta capit! Numne quod geſtantes feminæ, atque lactantes deferant ad fætum, vel extillent nato, panem, olera, carnes, prout ab ipſis ingeſtas, genera quidem adeo longe alia a prolis ſubſtantia? Num quod Pueruli, adoleſcentes, juvenes, & ſic loquendo, quas ciborum ſpecies deglutiunt, ad partes corporis alendas, reparandas, augendas, ipſiſſimas transmittant? Minime gentium!

Primo enim quæ ab uno, alterove vegetabili, atque animali regno, ore assumpta, atque subacta deferuntur ad stomachum, in Chymum ilicet converti, postea in verum chylum, denique in sanguinem transmutari noscimus omnes, unde cæteros corporis humores discedere, carnem ipsam, & ossa dependere, adeo certum est, ut ptopterea non absque ratione scripserint veteres, corpora iis constare, quibus nutriuntur.

Itaque concludendum, ingesta non ea sub forma, qua sunt, nec immediate in firmam substantiam animalis transire, sed per varios successivos gradus nativam deponere, novamque formam animalem substantiæ corporeæ nutriendæ, reparandæ,

dæ,

dæ, augendæque congruam, ſub ſpecie ſanguinis, vel ſeri, cum eodem admixti induere. Sane hic naturæ opus, hic labor! cui abſolvendo ingens ille apparatus, anatomicum oculum non latens, qui quidem cum adeo multiplicem, atque compoſitum ſe prodat præ illo, quem impendit natura, ut ſanguis in firmam animalis ſubſtantiam coaleſcat (quiete enim, ac ſola prætereuntium particularum preſſione id conſequi videtur), dicendum eſt, quod ſi transmutatio ingeſtorum in ſanguinem non niſi multiplicibus e mechanicis mediis, ac per tot recenſitos gradus perficitur; eo quod ſumma diſtantia, ac diſcrepantia ſit formam inter ingeſtorum, & ſanguinem; longe mi-

nori-

noribus e mechanica auxiliis abſolvitur nutritio corporis, augmentatio, refectio, verbo ſanguinis in firmam animalis ſubſtantiam transmutatio; prout major viget inter ſanguinis particulas ad coëundum phyſica diſpoſitio, nec non mutua earumdem cum præexiſtentibus animalis partibus affinitas.

Cum igitur ratione mutuæ hujusce affinitatis, qua pollet ſanguinis materies relate ad partes corporis præeſiſtentes, ſanguis una cum ipſis partibus ita valeat concreſcere, ut vera inde caro, oſſa, &c. reſultent, majora, minoraque vaſa reficiantur, atque augeantur, prout theoria nutritionis, & incrementi animalis apprime intelligimus: ſic ratione phyſicæ,

at-

atque congenitæ diſpoſitionis, qua gaudent ſanguinis particulæ, ut una coëant, ubi nullus intercedat partium animalis præexſiſtentium concurſus, in firmam ſubſtantiam, non carneam, ſed ſpurio-carneam concreſcunt; indeque ne dum narium Polypus, verum, & molæ, vel ſubſtantiæ polypoſæ in utero, a retento ſanguine concretæ, præterea Polypi cordis, aliæque ſubſtantiæ non abſimiles, intra tumores aneuryſmaticos vel a nobis obſervatæ.

Sed quid ultra immorandum in exponenda phyſica particularum ſanguinis diſpoſitione, ſive ingenita ad una ſimul coëundum proclivitate: multo minus elaborandum eſt, ut ſuadeatur proprietas,

qua

qua ſanguinis particulæ una coëuntes in definitam, atque ſpecificam ſubſtantiam ſpurio-carneam, ſeu quæ carnis primordia, ſtamina, lineamenta, fragmentula præſeferat, condenſentur: Præter enim quam quod utrumque exemplis confirmetur in ſuccis terreſtribus, lapidificis, ſalinis, nec non vegetantium, qui, dum a ſtatu fluiditatis ad illum tranſeunt conſiſtentiæ, propriam, atque ſpecificam ſui formam exprimunt, ac ſub figuris ſphæricis, mamillaribus, conicis, cubicis, &c. ſenſibus ſe produnt; unusquisque pro lubitu experientiam capiet in ſanguine, modo ſua utens diligentia portionem ſanguinis arterioſi intra duas chartas, ſive lintea recipiat, ac ſub aëre tepido premat

tantillum digitis, ut ſuperfluens humiditas aſſorbeatur; & jam intenta acie deprehendet, præter ea, quæ utraque charta, ſive lintea, ſigna reliquere, diſtincta & carnis ſtaminum veſtigia.

Hinc non perperam æſtimarunt plures, ſanguinem habendum pro complexu ſtaminum ſive fragmentulorum carnis, quæ orbata ſuo naturali vehiculo, hoceſt fluidis intermediis intra quæ ſuſpenduntur, ac quodammodo disgregantur, ne coëreant (id quod perquam frequens, dum maxime motus tum externi, tum interni validiores præceſſerint), mox eamet ſtamina in grumos, ac maſſulas abire, vaſa obſtruere, circulum intercipere, homines denique, niſi opportune

ſuc-

ſuccurramus interimere, hæc omnia gravia ex ea coëundi ſanguinis proclivitate manare indubium eſt.

Ea vero proclivitas non quoad omnes eodem modo ſe habet, ſed pro temperierum, morborumque diverſitate, plurimum quidem variare & illa ſolet. Præterea non coëundi tantum inter ſeſe particulæ facultate gaudent, ſed etiam cum aliis præeſiſtentibus partibus conjungi appetunt. Quod cum perenni nutritionis exemplo demonſtratur, maxime vero confirmatur, & illis adhæſionibus, quibus Polypi cordis, molæ uteri, concretiones polypoſæ tumorum aneurysmaticorum cum vicinis partibus tam firmiter adhærent, ut vix cultro ab iis ſemoveri

poſ-

possint. Quamobrem fluida substantia sanguinis habenda est, nedum suas inter partes concrescere potens, sed etiam vasculorum labiis, atque parietibus unde effluit, aut quos tantummodo tangit, cohærere capax.

Hisce præhabitis facile nunc ratio se prodit, atque modus, quo narium hæmorrhagiæ succedit Polypus; facilius adhuc concipitur habita consideratione ad vasorum structuram, unde sanguis effluit, nec non ad velocitatis momenta, quæ insumit sanguis effluendo.

Quoad vasorum structuram, nullus inficias ierit, cuique arteriolæ rubræ, per narium substantiam passim effusæ, atque distributæ, eamdem structuram esse, ac

majori cuicunque vaſorum, pluribus nempe tunicis non ſolidis, atque compactis conſtare, ſed quæ perviæ ſint, vasculisque mire decreſcentibus refertæ ita, ut quodlibet vas, unde ſanguis paulo ſenſibilius erumpat, non pro ſimplici habendum ſit, ſed veluti complexus vaſculorum ulterius decreſcentium: Quot vero gradatim exiliora id genus vaſa, vel rubra, in tunicis cujusque vaſis aliquanto majoris extent diſpertita, atque inſculpta inferimus ex eo, quod ultimum vas rubrum comparari ſoleat denſitati 10.mæ partis capilli humani.

Ad alterum quod attinet, nempe qui ſit impetus, atque velocitas, qua ſanguis è disruptis vaſis pro diverſa eorun-

rumdem diametro erumpit foras, eſt plane, quod ex ipſa venæ ſectione colligamus. Hominis namque horizontaliter cubantis ſecta jugulari, mox ſanguis grandi impetu proſiliens, magnam deſcribit parabolam; minorem ex diſſecta vena ad flexuram cubiti in medio ſita, longe adhuc minorem diſſecta in metacarpio ſalvatella, ita proinde, ut motus ille, atque velocitas ſemper languidior ſit, quo vaſa extant exiliora, atque a motus centro longiùs diſtent.

Propterea obſervamus, ſanguinem ex tenujoribus vaſculis extillantem tam lente exire, ut vix valeat eorum deſerere limbos, econtra iisdem adhæreat, citoque coaleſcat, niſi novo ſuccedente latice alluatur.

 Hæc

Hæc dum ſedulo expendimus, in eam ſententiam adducimur, ut nulla disrumpatur in naribus arteriola, unde ſanguis paulo ſenſibilior prodeat, quin inſimul plura exiliora vascula ejusdem arteriolæ inſculpta parietibus disrumpantur, quæque cum neceſſario ſint illamet exiliora, hinc & impetus humorum inde prodeuntium longe minor, atque languidior alterà (hoc eſt ſanguinis ex arteriola directè erumpentis velocitate) erit. Quamobrem relatè ad narium hæmorrhagiam videntur pluris eſſe faciendæ (ut narium Polypi ideam concipiamus) binæ illæ humorum prodeuntium columnæ, quarum una dicetur media, quia ex medio, ſeu præcipuo vaſe prodit, altera autem late-

ra-

ralis, quia ex vasculis parietum illius directe ſcatet.

Porro hac duplici animadverſione non mediocriter adjuvamur, ut Polypi initium, & incrementum intelligamus. Initio quidem prodit Polypus ſub mera grumi ſanguinei forma, qui ſenſim conſiſtentiam acquirit ſpurio-carneam.

Grumus ille vero dupliciter inducitur, arte nempe, ſive natura: arte dum quædam disruptis vaſis applicantur, quæ vi præſtant coagulandi ſanguinem; ad hæc Agaricus maxime referendus, cum viderimus tam valide nonnunquam egiſſe, qui ad medietatem amputati cruris applicatus ſanguinem non tantum extra vaſa,

ſed etiam intra vaſa, ad Iliacorum vaſorum initia usque conſtringeret.

Fatendum vero prudentiori applicatione illud poſtea declinatum infortunium: quibus vero cautelis uti debeat, perite, clare, copioſeque primo nobis, cauſa præſertim curæ Aneurysmatis, nec non alibi pluriès tradidit Præclarus Morand.* Noſtra vero refert rationem indagare, unde grumus ille ſanguinis ad labia, atque extrema vaſorum, ex quo immediate ſubſtantia ſpurio-carnea, ſive Polypus excreſcit.

Enimvero cum primum arteriola in nare diſrumpitur, vel ad hiatum usque rela-

* Vid. Acta Acad. Reg. Ch. Pariſ. Tom. II, III.

relaxatur, mox ſanguis extillat, ea ut plurimum copia, ut intra horam interdum ad libras effuſio ſit. Tum columna humorum media, ſeu quæ a principe vaſe dimanat, ſecum abripit lateralem. Ubi vero præcipuum vas ſanguinem fundens incipit evacuari, indeque impetus remitti, columna lateralis proculdubio non amplius a media diſtracta eſt; quamobrem incipit humor, qui ex circumferentia extillat, quieſcere, limbis disruptorum parietum, pro ea, qua pollet cum eorumdem ſubſtantia mutua affinitate, adhærere. Aſt ubi hæc adhæſio contigerit, facilè noſcimus, jam ſpeciem incipere molliſſimi quodammodo, atque viſcoſi tubi, ſub forma ſanguinei grumi

oculis intuentium ſeſe exhibentis : cui ſucceſſive confluentes intra grumi cavitatem adhucdum affuſæ guttulæ ſanguinis, proprioque pondere, atque volumine molliſſimi grumi latera urgentes, ut cedant, ac dilatentur; Sequitur inde, quod quemadmodum intima preſſio confluentis ſanguinis univerſe urgens, magis vero aggravans ad fundum noviter enati grumi, ratione ponderis, eſſe debet; ſic eo magis augeri debeat inceptus Polypus, & eam formam ſacci in ampullam deſinentis concipere, ſub qua ſe prodit; maturari vero quodammodo, ac indureſcere in eam ſubſtantiam, et conſiſtentiam ſpurio carnis, prout magis a baſi recedit, aërisque actioni fit pervius, & acceſſibilis.

For-

Forte eo ipſo modo, atque lege naſcuntur illæ, vel maſſulæ polypoſæ, carunculæ communiter dictæ, in veſicæ collo, ſive urethra, ipſamet in veſica, intra vaginam, in uteri cavitate, vel ad confinia inteſtini recti intumeſcentes.

Polypi vero, qui intra majora vaſa formantur, maxime prope cor, atque in ipſis tumoribus aneurysmaticis, non alia ratione formari videntur, ac in aquæ ductibus ad internos parietes, ex advectis cretaceis calcariisque particulis, cruſtæ coaleſcunt, quæ primo cavitatis circumferentiam pro maxima parte occupantes, ſenſimque ad axim accedentes, totum ſubinde tubum obſtruunt. Sic in vaſis majoribus hac lege enatæ polypoſæ con-

cretiones, prout in aquæ ductibus quivis ſiſtitur, & intercipitur motus, atque fluxus aquarum, ſic animalium humorum motui, ac circulo obſtant illæ, ut qui ejusmodi infirmitate laborant, miſere pereant.

Cœterum longe abſumus, qui nonnullorum exemplo ad ſpeciem Polypi alios narium tumores referamus, prout ſunt Tophi, Steatomata, aliique tumores ciſtici, nares quidem invadentes; aſt qui, uti longe alius naturæ ſunt a natura Polypi, longe & alia efformari lege, & methodo tractari, res pro comperta, ac jugi obſervatione ſatis explorata eſt. Eo-minus Polypis accenſendas puto nonnullas veſiculas, a ſola interdum ſubſtantia

pitui-

pituitæ, intus in naribus concretæ, adnaſcentes, quæque proinde hydatides meliori jure appellari merentur: Hidatides (inquam) qui prout leviter adhærentes, parvo molimine removentur, multoties etiam cum muco ejiciuntur. Nunc autem de veri cura Polypi agendum.

CAPUT II.

De Polypornm Narium Curatione.

Dum præcedenti capite in hujusmodi Polypos excitantes cauſas paulo diligentius, ac antea ab aliis factum fuerat, inquireremus, a magis recepta quidem opinione nonnihil recedere debuimus, ut quam ſenſus, atque ratio magis

ſua-

ſuadebant, amplecteremur, indeque morbi perfectiorem ideam haberemus. Neque ideo hoc factum, ut exinde curationis noſtræ methodo brevi mox deſcribendæ magis faveremus: namque reſpectu hujus perinde eſt, ſive Polypus ab inflatione, atque dilatatione alicujus e pituitariæ glandulis, ipſiusque pituitariæ expanſione dependeat, ſive immediate a ſolo ſanguinis, aliorumque humorum influxu, atque coalitu: Probe enim novimus, nullam glandulam, nullamque corporis membranam ex ſe ipſa turgere, atque intumeſcere, ſed tantum ob materiei expandentis influxum. Quare dum cura Polypi aſſumi debet, duplex indicatio neceſſario habenda; removendi nempe Po-

ly-

lypum præſentem, novumque influxum præcavendi. Utramque ſane indicationem ad votum implet ſimpliciſſima noſtra methodus: quæ tamen non prius deſcribenda, quin aliqua ſaltem perfunctorie de aliis methodis præmittamus.

Has methodos vero curandi Polypos narium multas quidem eſſe, ſcire facile eſt, uno ſaltem Hippocrate lecto: poſſe tamen omnes ad ſex contrahi ſequentes non veremur aſſerere. Harum prima intra volſellam, ſeu forcipem, vel etiam laqueum ſuſceptus Polypus extrahitur; altera autem præſcinditur; tertia puncturis, vel ſcarificationibus aggreditur; quarta ignitis ferramentis aduritur; quinta medicamentis corroditur; ſexta denique cum

filo

filo ſerico, vel lineo, multiplici quidem artificio ligatur.

Ratio tamen, atque experientia ſuadent, nullam ex iis methodis extare, quæ permultis incommodis, atque difficultatibus non ſit obnoxia: quandoquidem extractio, priori loco recenſita, fibras, vaſaque lacerando, diriſſimos excitat dolores, atque hæmorrhagias promovet, quarum cauſa, præterquam quod ægri vita periclitetur, vix, aut ſaltem raro ſanatur Polypus. Mittimus errores hujusce occaſione commiſſos, dum quæ naribus ſunt a natura datæ eminentiæ, loco Polypi ingenti vi immaniter divellebantur, quod quidem graviſſimæ noxæ genus actu, quo hæc ſcribimus, ponit

ob

ob oculos juvenis ex Academia Neostadiensi, qui postquam aliorum conatus inaniter obierit, adiit nos, auxilium efflagitans. Speramus afferre, Polypum removendo, quam primum adultior factus, magisque instituendæ curæ nostræ aptus evadat. Quo vero ad illata mala; veremur, ne iis reparandis sufficiamus.

Præcisio Polyqi non minus (causa hæmorhagiæ) periculosa, ac ipsa extractio. Idem ferme sentiendum de puncturis, atque scarificationibus, aliunde inanibus. Non meliora auspicanda ex ferri applicatione candentis, cum ea sit narium fabrica valde fragilis, habeatque cum cerebro, ejusque mombranis multam quidem connexionem. De corrosivis vero,

cum

cum hæc nullatenus extirpent Polypum, ut plurimum eo irritant, ut in posterum tangi renuat: quamobrem ab iis cavere sane consultius.

De ligatura longe aliter: hanc pro cura præferendam suadent firmissima artis principia, ratio, atque experientia; dummodo extent media, atque instrumenta illimet ineundæ magis apta: namque ligatura utentes, unica fidelia, sic dicta, duos parietes insimul belle dealbamus; dum ejus ope Polypum, qui adest, removemus, unaque cavemus, ne adolescat alter; quod novissimum ex præcedenti emolumento consequimur.

Polypus enim etsi non ea gaudeat structura, qua cæteræ corporis partes dona-

donatæ ſunt, haud tamen caret poris atque ſulcis, per quos humorum influxum recipit, ſubſtentatur, ac ſenſibiliter augetur. Humoribus ergo interceptis pereat, & ipſe, quemadmodum cæteris cum animalium, tum vegetabilium partibus obvenire ſolet, neceſſe eſt. Hoc plane obtinemus, dum congrua ligatura juxta baſim arcte conſtricto Polypo, pars ea cogitur, quæ ſanis præexiſtentibus narium partibus adhæret. Enim vero hac ſola ad baſim conſtrictione adhibita, omnes pene delentur, quotquot cum partibus præexiſtentibus ſulci communicant; eo quod eorum latera, atque parietes hoc modo cogantur in magis compactum, magisque breve, atque impervium vo-

lumen consolidari: prout vero ope ligaturæ in compactius volumen cogitur basis Polypi, sic induerescit, ne ultra in posterum dissolvi patiatur, accedente maxime physica illa ad coeundum proclivitate, qua in suis intimis, non äere induratis, elementis, sive fibrilis caro quælibet donata est.

Plura sane in corpore humano extant exempla, quæ physicam ad coeundum dispositionem inesse probent elementis sive fibrilis partium, præcipue mollium, modo juxta se positæ aliquandiu contineantur. Id ars confirmat, morbi, iufortunia: Ars, qua mox editi fœtus ligantur vasa umbilicalia, ex quibus nihil amplius effluit; illa, qua cætera in majo-

majoribus amputationibus vaſa conſtringuntur, unde humoris nihil emittitur, eo quod tali vinculo ita conglutinentur in unum parietes vaſorum, ut ne amplius impetu vitæ ſeu circulationis disjungi valeant. Morbi hoc ipſum teſtantur plurimi: Si enim inteſtina aliena in ſede aliquandiu violenter demorentur, procul dubio cum partibus contiguis ita copulantur, ut vix cultro divelli poſſint. In iis vero, qui pleuritico morbo periere, nihil frequentius pulmone Pleuræ accreto. Infortunia quis numerat, hanc elementorum fibrarum in mutuum coalitum propenſionem, confirmantia? Brachium Thoraci accretum, digitos una

coalitos in infantibus vidiſſe contigit, ob grande infortunium in ignem delapſis.

Cum igitur ligatura ſit, quæ omnes ſulcos, fibrasque Polypi baſim, ſeu partem ejus, ſanæ contiguam conſtituentes amplectatur, comprimatque undique verſus commune centrum; hæc duo tutiſſime præſtat emolumenta: Primò impedit, ne quid humoris ultra prætereat in Polypi ſuſtentationem, quare contabeſcat, ac decidat oportet: Inſuper ſulcorum, atque parietes in unum compingendo, nec non univerſam Polypi ſubſtantiam, quæ paulatim evadit tabida, atque exſucca, reſecando, omnia hæc in unam ſuperficiem planam imperviam, à ſana non diſſimilem, immutat.

Hinc

Hinc factum est, quod, cum ligandi methodus longe admodum præstet cæteris, non mirum, si plurium jam celebrium virorum ingenia torserit solicitudo mediorum, quibus commode posset ligatura adhiberi. Hos inter non mediocriter inclaruit solertissimus Levret, Chirurgus Parisiensis, ibique Parisiis obstetricia in arte primarius, qui pro summo, quo pollet ingenii acumine, plura sane excogitavit, ac speciali suo tractatu evulgavit subsidia, quibus labilis ansula, qualis ex filo serico, vel lineo conficitur, ad basim usque, seu radicem Polypi deduci posset. Ast fatendum illorum usum sæpenumero plus negotii, atque incommodi facessere, quam utilitatis. Ex eo

præſertim, quod raro admodum proportio illa, atque narium capacitas ſubſiſtat, ſine qua illorum uſui, atque applicationi nullatenus locus eſt.

Id ſane, quod, cum vel ipſe aliquoties in praxi doluerim, longe aliam, a cæteris hucuſque notis, methodum ligandi Polypos, propria tantummodo opitulante induſtria, excogitavi, adhibuique, ſecluſis omnibus quotquot aliorum mediis.

Nova hæc curæ Polypi inſtituendæ ratio, quamvis rudis adhuc, & expolienda, menti primò ſubiierit, ſequentis vero experimenti occaſione adeo expurgatam, atque perutilem ſucceſſivis in caſibus reperimus, ut pro voto debellando

Po-

Polypo cessisse simplex inventum valde lætemur.

Labente 1754. adibat me puer Studiosus, levamen querens Polypi prægrandis, in nare dextera alte radicati. Ligare hunc statui, ac primò media solertissimi Levret adhibere aggressus, experior angustiæ causa eorum applicationi deesse locum; quamobrem alias industrias tentare coactus, ad sequentem diem ægrum dimiseram.

Interea ex cathetere argenteo partem abscidi, cannulam nempe rectam, duobus pollicibus longam; in ejus cavitatem argenteum filum duplicatum induxi, & ansulam inde, ut patet Fig. 2.[da] confeci, qua Polypum ligarem. Cum

puer ſtatuta hora rediret, curavi, ut adverſus lumen conſideret. Tum accepta volſella, pro extractione Polypi adhiberi ſolita (Fig. 1.ma), clauſam hanc (ex parte A.) per ſpatium anſulæ trajeci, poſtea modice diduxi, Polypo dein alte prehenſo, atque conſtricto, ligavi inſimul annulos volſellæ: Superſtex vero ab hac ligatura filum inter labia ipſe ſuſceperam. Sine manuum auxilio volſellam ita ſuſpenſam continui. Tum anſulam (A. Fig. 2.da) ſecundum volſellæ, ſeu forcipis longitudinem eo direxi, ut ad Polypi radicem deveniret. Quo eam perveniſſe cum reſiſtentiæ indicio animadverterem, tum extremitatibus anſulæ (c. c. Fig. 2.da) una ſuſceptis,

tis, altera vero manu cannulam altius demittendo, prout demonſtratur (Fig. 3.[tia]) ſic ſenſim imminuebatur anſulæ ſpatium, adeoque arctiori ligatura conſtringebatur Polypus: Ubi ſatis, tunc intortis anſulæ extremitatibus (ut eadem Fig. 3.[tia] clare exprimitur), eouſque firmabatur ligatura, ut ne hilum relaxaretur. Sicque operatio abſoluta fuit. Remota hinc volſella, ejusque loco filamenta circa circum cannulam inducta, ne aliqua moleſtia ob ejus duritiem partes afficerentur, emplaſtro diapalmæ, foraminulis inſtructo, applicato, iuductaque deſuper idonea faſcia, ægrum dimiſeram, ut ſobrie, atque tranquille domi ſe contineret. Tribus inde effluxis die-

bus, iterum me ut adiret expreſſe injungens.

Statuta die totus hilaris, atque feſtivus advenit ſtudens, Polypum in linteo afferens, quem bene tabidum, narransque inſcio ſe ſub ſomno præcedentis noctis, abſque vel minimo ſanguinis veſtigio ſponte decidiſſe, vix 40. horis ab operatione elapſis. Mox ad lucem converſa nare, diligenterque introſpecta, lætus vidi, nihil de Polypo ſupereſſe, naremque proinde omni modo liberam. Illico replevi molliſſimis eam turundulis, diſſolutione vitrioli madidis, faſciaque, ut antea, deſuper poſita. Duodecim dierum ſpatio ſanus, & incolumis evaſit Puer.

Hoc

Hoc experimento facilitatem, atque præſtantiam methodi, pro ligando, ſanandoque Polypo edoctus, totum exinde ei perficiendæ animum applicui. Noveram enim ſub operatione in ampla cannulæ cavitate nimium anſulam vacillare; mox ideo curavi alteram confici, quæ figura 2. & 3.[tia] repræſentatur. Eſt proprie cylindrum (B.) duobus tubulis per medium longitudinis ſuæ pertuſum, in quibus anſulæ extremitates accurate continentur. Pendet ex utraque anſulæ extremitate (c. c. F. 2. 3.) faſciculus filamentonum, ea de cauſa adjectus, ut facilius inter digitos una, alteraque extremitas contineretur.

Ve-

Verum non corrigendæ tantummodo cannulæ ſtudere oportuit, ſed & conſuetæ forcipi, ſeu volſellæ nonnulla adjicere, quæ faciliori operationi ſubvenirent.

Præ aliis cochlea eſt, cujus binæ notantur partes, mas, ut ajunt (B), & femina (c.), quarum uſus ſola è figura ritè inſpecta dignoſcitur. Præterea ita efformatæ noſtræ forcipis extremitates, ut quam aptiſſimæ ſint ad Polypum prehendendum, arcteque continendum, quin aut dilacerent, aut diſrumpant. Utraque enim pars correctæ forcipis leviter excavatur, brevibusque ad inſtar limæ inſtructa in ſua cavitate dentibus, ſive obtuſis ſpinulis; in medio feneſtrula (A.) pertunditur, quæ omnia ſane intento fini ſum-

mo-

mopere conducunt. Thenia insuper adjecta est ejusdem forcipis annulis, cujus usus mox patebit.

Expositis correctionibus, refert referre modos, queis Polypi operationem aggredimur. Ægro adversus lumen, ut antea, confidente, forceps (Fig. 1.) per ansulam (Fig. 2.) inducta, posteaque in narem demissa, Polypoque alte prehenso, blande parumper clauditur, firmaturque partis cochleæ (C.) versione. Post hæc Thenia, superius memorata, inter labia suscipitur; tumque forceps jam pene horizontaliter suspensa hæret; utraque operatoris manus jam libera est. Sinistro pollice nasi apici admota, leviter is comprimitur, ea

de

de caufa, ut inde naribus expanfis facilius anfula demittatur. Ad Polypi radicem, feu bafim perventa anfula, tunc finiftra manu ejusdem extremitates (c. c.) continentur; dextera vero altius cannula impellitur, ut patet ex fig. 3. eaque ratione ligatur Polypus, atque conftringitur.

Polypus ita conftrictus, ut plurimum ante fextam diem pro maxima parte tabidus, atque exfuccus una cum ligatura fponte cadit. Ubi hoc non contingeret, videreturque paulo adhuc fortius adhærere, tunc vel arctius ligatura conftringendus, vel nova, duce priori, fuperaddenda. Quamobrem, & hac de caufa, & ob alias rationes, optime fem-

per

per cautum erit, plures in promptu habere hujusmodi cannulas, ſua anſula inſtructas, & pro caſuum varietate diverſæ etiam longitudinis.

Hactenus quo ſtimulo adducti fuimus, ut novam ligandi Polypum rationem conciperemus, quomodo hæc obſervatione, atque praxi adhuc perfectior adhibeatur, pro communi utilitate ingenue diximus. Supereſt, ut ejus præſtantia variis, multisque curationibus, quas fauſtiſſime hac noſtra methodo contigit abſolviſſe, confirmetur.

Nobilis Ungarus, Lazarus Nitzky 60. annos natus, ſeptem abhinc annis advenit Viennam, moleſtiarum levamen obnixe petens, quibus cauſa unius, al-

te-

teriusque Polypi, vetusti, densissimi, qualibet in nare alte radicati afficiebatur.

Extirpatio aliquando tentata, adauxerat incommoda. Ast hæc paucos intra dies dissipavit nostra superius descripta methodus. Ab eo tempore nihil amqlius molestiarum in utraque nare perpessus est; id quod candidus homo haud renuit asserere proxime elapso anno coram etiam Clarissimo Domino Doctore Schelenberger, dum Viennæ communi nostro, pro alterius morbi reparatione, consilio usus est.

Non minus feliciter nostra methodus cessit quoad centurionem, nomine surmont, quem mediæ ætatis virum perhumaniter curæ nostræ commendaverat Il-

lu-

lustrissimus Baro van Swieten; vetusti, durissimi, atque enormis sane magnitudinis huic Polypi erant, cum ad fauces, ad labia utrinque penderent; omnihus præterea, quæ Polypo accidere possunt, pravis Symptomatibus comitantibus; ideo solitus miserè conqueri, malle se vitam cum morte commutare, quam dolores inter atque molestias diu degere.

Extirpationem reformidans, propter ingentes, quas Bruxellis, & alibi perpessus fuit hæmorrhagias, quibusque incolumem evasisse, miraculo referebat acceptum, ad solum horrebat instrumentorum aspectum. Suasus tandem, instrumenta in finem longe alium a nobis adhiberi, curæ nostræ se commisit. Incre-

dibili plane lætitia affectus eſt, cum ſine moleſtia, vitæque periculo brevi dierum intervallo ſe ſanum, & incolumem, vinctis Polypis, ſenſit. Ejus firmam, atque integram valetudinem teſtantur cum ejus, tum nonnullorum caſtrenſium medicorum litteræ, queis certiorem me faciunt.

Non diu poſt, idem Illuſtriſſ. Baro van Swieten, de præſtantia methodi optime ſuaſus, curæ noſtræ commiſerat D.nam Zceppelin, Auguſtiſſimæ Imperatricis à cubiculis; denſis hæc, atque vetuſtis Polypis, utraque obſtructa nare, laborans, paucos intra dies revaluit feliciſſime. Quæ ſane cura cum in conſpectu univerſæ Aulæ contigerit, nec teſtibus

de-

desuit probatissimis, neque remuneratione caruit, & laude, quæ summi facienda sit.

Non sinit proposita brevitas ultra immorari in iis recensendis Polypi curationibus, quæ etiam, atque etiam hujusce methodi præstantiam confirmant; aliunde cum fundamentis, quibus innititur, omnium simplex, ac perquam utilis probetur; nec non quivis pro lubitu, debitis cautelis adhibitis, de ejus præ cæteris efficaciam convinci possit. Id vel maxime fore confidimus, si dum rationis nostræ curæ præcipua, quæ observari debeant, retulimus; neque illa dicere omittamus, vel quæ ad curam ipsam directe pertinent, vel ad casus spectant, quos

hæc ipſa idcirco excipit, quia omni fere arte incurabiles.

Porro ut felicius, quoad ominari poſſit, cura perficiatur, intereſt præprimis ante Polypi ligaturam ægris alvum ſubducere, ne ob corporis quietem, fœces in primis viis nimium ſubſidentes indureſcant, incaleſcant, proindeque aucto eorum volumine vaſa comprimant, adque caput ſanguinem repellant. Hac de cauſa, & alvi ſubductio eſſet repetenda, ſi ultra quintam diem alvus obſtructa, multiplicia enim exempla cum in hac, tum in quavis alia operatione docuerunt, haud bonum eſſe, ſegnem alvum ultra illud dierum ſpatium permittere, etſi ſolo

jure

jure alerentur ægri. Antea vero ſolicitanda nunquam nobis viſa eſt.

Præterea urgeat, nec ne, Plethora, expedit antequam cura aggrediatur venam ſecare, iis præſertim, qui temperie gaudent ſanguinea, quique hæmorrhagiæ interdum obnoxii fuere. Aſt ſi verum, quod quo magis vaſa collapſa habentur, eo citius coaleſcunt, idcirco parce nutriantur ægri, ne vaſa multum repleantur.

Cura vero haud negligenda, quin prius perfectiſſime coaluerit pars, cui hærebat Polypus. Sed immittendæ frequenter ſunt illæ filamentorum turundulæ molliſſimæ, in ſolutione vitrioli antea ſemper demerſæ, uti ſuperius dictum eſt.

paratur hoc remedium addendo unciis duabus aquæ rosarum, vel plantaginis drachmas duas gillæ Theophrasti.

Ne autem ob aliquod humoribus prædominans vitium Polypus de novo in naribus erumpat, prudentiæ semper erit illud corrigere, usu nempe earum rerum, quæ magis optimæ in eum finem compertæ sunt. Si nimia ad coalitum prædominetur humorum proclivitas, hæc domanda remediis nitrosis, saponaceis interne exhibitis. Si affluxus nimius humoris glutinosi ad caput, ad nares, una simul revellendus, atque incidendus erit continuo emplastri usu, cervici præsertim admoti. Paratur hoc uncia una Emplastri melitoti, drachmisque tribus empla-

ſtri veſicatorii ordinarii, id quod egregie præſcriptum ab Ill.mo Lib. Bar. van Swieten, ac frequenti uſu ad varios capitis morbos expertu utiliſſimum.

Aſt nonnunquam etiam hæmorrhagiæ in feminis, præſertim catameniis inſtantibus nares invadunt. Poſſe inde Polypum renovari reſultat ex dictis. Refert igitur hæmorrhagiæ, quantum artis eſt, præcaveri. Huic proſpiciunt venæ ſectiones opportuno tempore adhibitæ, nec non ea media, quæ ſanguinem ad propria loca dirigere valent. Hæc vero dum aliorum peritiæ relinquimus eligenda, quædam ſolummodo addere ducimus, quæ frequenti experientia pro ſiſtenda hæmorrhagia novimus optima.

Dum ſanguis effluit è naribus, oportet æger in ſedili, vel lecto quietus conſideat, capite retrorſum nonnihil dejecto, ſimulque è ſola manus aquam hauriat frigidam, evomatque per os una cum ſanguine ipſo. Turundulæ è filis confectæ utiliter etiam in nares induntur; prodeſt frigidiſſima aqua cum linteis madidis fronti admotis.

Juvatque inſimul, pedes in aquam immittere calidam: ſin ceſſet his hæmorrhagia, tunc incidenda pedis, quæ magis turgeat vena. Sic absque ægri noxa, ſedatur hæmorrhagia, ad quam præcavendam ſupereſt, ut ea ſolerter vitentur, à quibus, præter cauſas internas, ſolet ut plurimum excitari, prout ſunt ictus,

la-

lapſus, digitorum affrictus, halitus nimium fortes, ac pulveres ſenſiliſſimam narium tunicam laceſſentes.

Quæ ſit generaliter cura habenda Polyporum narium, quomodo tractanda, atque præcavenda ſymptomata, quæ Polypum vel præcedunt, vel comitantur, vel etiam curæ ſupervenire poſſunt, ubi minus caute diligenterque inſtituitur, hactenus dictum eſt. Nunc vero ſermo de iis Tumoribus habendus, qui licet naturæ toto cælo alïus, à minus tamen peritis cum vero Polypo confunduntur. Hujusmodi ſunt Tophi, Steathomata, ac quædam Sarcomata, de quibus mox dicetur. Verum palmaria nimium extant

diſcrimina hæc inter, & Polypum, ne id genus tumores aſſumatur promiſcue.

Ita Polypus à natura comparatus, ut magis in longitudinem, quam in latitudinem ſe protendat. Contrarium vero in iis omnibus obtinet. Polypus ut plurimum mobilis, atque flexilis, illi autem duri, ac renitentes. Alio inſuper modo ii producuntur, aliam occupant ſedem. Tophus oſſis ſubſtantiam, ut plurimum obſidet, cauſamque agnoſcit veneream. Steatoma è ſingulari quodam humore, in ſpeciali ciſtula, pone tunicam pituitariam, collecto atque condenſato turget. Sarcoma denique eſt prominens vera caro, ab irritamento, vel ictu, vel lapſu, ut plurimum enata, lateque expanſa, or-

ga-

ganizata, ac rubra: Solet ut plurimum ſupercreſcere, quibus Polypus avulſus eſt; idque cum ob irritamentum, partiumque diſtractionem, tum ob ſanguinis congeſtionem evenire putamus.

Nullus vero ex his tumoribus ea methodo qua Polypus, ſed ſpeciali medela tractari exigit. Tophi enim à cauſa venerea originem ducentes nullam curam præter internam admittunt. Subinde vero vel ſponte, vel ſub uſu Mercurii flacceſcunt, putreſcunt. Tum quod corruptum eſt ſemovendum à ſano, & hocce præſervandum applicatione balſami præcipue coppayvæ, quo filamenta obducuntur. Steathomata domantur cauſtico potentiali; ad hunc alioſque uſus mirifice

va-

valet, quod ad mentem summi Bœravii (opera Ch. Pr. XIII.) paratur à clarissimo Professore Laugier. Nullum ipse id genus tumorem, qui nec bubonem venereum aggredior ferro, sed cauta solummodo hujus caustici, perhumaniter ejus ab auctore mihi elargiti, applicatione domare soleo. Id plane facilius ægris, qui ut plurimum instrumenta horrent, mihi vero commodius, qui nullam in posterum duritiem, nullosque incisionis angulos, curam protrahentes, habeo, quos timeam. Hujusce caustici vi corrodente, brevi tempore aperitur tumor, ulcus digeritur, totumque infectum dimittitur. Si ad horæ quadrantem alicui hæreat parti, crassam escharam, brevi deciduam promovet.

Fa-

Facillime igitur hoc medio pervenimus ad ſteathomatis uſque ſinum, quo evacuato, lapide infernali, vel etiam ſolo unguento digerente, ex Balſamo arcæi, atque tantillo præcipitati rubri confecto, conſumitur ſinus ciſtula, tumque cura perfecta eſt.

Sarcoma vero intra naſum excretum difficilius curatur, vincitur reſolventibus, quæ ſin impactos expellant humores, impediunt ſaltem, ne ultra excreſcat ſarcoma; ut plurimum natura ſua albeſcit, eodemque in ſtatu ad uſque vitæ finem perſeverat.

Nonnunquam vero Steathomata, atque Tophi adeo profunde latent, ut, niſi diſſecta nare, quemadmodum ſuadet

Cel-

Celſus pro cura profundioris Ozenæ, deſcripta remedia nequeant applicari. Scimus, hanc naris inciſionem ab aliquibus improbari, quod nihil durius, formæ & iniquius ſit: Aſt præter antiquiſſimi Phyloſophi ſententiam: quod nulla dura videri debeat curatio, unde ſalutaris expectetur effectus; memoriæ inſuper illud Severini revocandum: non poſſe ſæva mala, niſi ſæve tractari. Suppetat vero firma curationis expectatio, quandoquidem licebit ſemper ardua tentare: alias ſi minus fælix fuerit eventus, is temeritati potius, quam peritiæ referendus nullo non tempore erit.

Aſt datur narium Polypus, qui abſolute attingi vetat, & utpote cancroſus,

ubi

ubi ſi noſtra, vel quavis alia è ſuperius recenſitis methodis tentaretur, mox ingentes dolores, atque inflamationes excitaret, quæ late ſeſe diffundentes, funeſtos ederent effectus.

Cura igitur hujusmodi Polypi in deſperatis habenda, quippe quia omnimoda, quæ impendatur, arte, nihil ultra conſequi poſſit, quam qui effectus caveri nequeunt, compeſcantur, vel nonnihil temperentur. Si quid vero majoris levaminis ſperare liceret, id plane à ſola cicutæ facultate, quam prout evulgata exempla, ac teſtimonia fide digniſſima aſſeverant, cancris debellandis, quamvis corporis partem obſidentibus, adeo efficacem, quin ejus cicutæ uſum improbemus,

mus, pro cura cancrosi Polypi commendamus. Id saltem emolumenti ex interna cicutæ administratione constat nobis, quod immanes dolores, cancrum concitari solitos mirum in modum sedare valeat, præterea externa ejusdem applicatione, quod cancrosæ carnes in putridas quodammodo glebulas dissolutæ sua sponte delabantur. Id quod ne gratis dictum videatur, operæ pretium ducimus sequenti casu confirmare, qui ut ut à Polypo dissimilis arguatur, non levis tamen conjecturæ pro vel cura Polypi intelligenti erit.

Femina 60. annorum horrido cancro mammam dexteram in duo ferme grandia promontoria divisam habuit, foramine in medio pertusam, per quod indu-

ctus

ctus ſtilus, in nudas atque cariatas coſtas incidebat.

A diu miſerrima hæc, lecto affixa, viribus, & carne conſumpta, dies noctesque vigiles præ dolorum acerbitate tranſibat. Omnes læſas habuit functiones; non appetebat, non digerebat, vix mente conſtabat. Multa ſane vicinæ mortis ſigna aderant, cum ejus filia inſtare cæpit, ut ipſe matrem inviſerem.

Caſus periculum non diſſimulans innui extractum cicutæ, quo uti poſſet, ſi vellet, ad dies ſaltem protrahendos. Annuit miſera, incipiens a parva doſi ſex granorum, quam ſub forma pilularum, partitis horis ſumebat in die. Cum primum 20. grana jam quotidie deglutiret,

vires habuit, ut è lecto consurgeret, atque adjuvante filia, intra cubiculum deambularet. Quod magis mirandum! remissos eo dolores, ut dixisses liberali opio sopitos; quod nec mente revolvimus.

Quid vero fortis cicutæ infusio, externe adhibita, hic boni foret allatura, explorare volentes, semiunciam ejus extracti ad libram unam plantæ infusi adjecimus, eoque tepefacto bis, terque ad diem prægrandem illam cancri molem penicillo madefecimus; insperso postea pulvere ex cerussa, mirrha, olibano confecto, ad exsiccandos, atque corrigendos olentissimos exin scaturientes humores, conte-

gi-

gimus omnia filamentis ſiccis; deſuper impoſito cicutæ emplaſtro.

Singulare plane phænomenon! quatriduo vix effluxo incæperunt illæ magis elatiores eminentiæ in glebas fatiſcere, vacillare, nigricare, tandem leviſſima vi penicillo aliquanto excuſſæ, cadere. Sic mirifice procidebat ingens cancri moles: id quod vel Ill. Baro van Swieten, Nobiliſſ. Archiater v. Kesler, Clariſſ. Profeſſores Crantz, & Gaſſer, inter alios plures, attente obſervarunt.

Annoſa hæc femina ab annis in ſuburbiis vivere aſſueta, ingruente hyeme in Urbem ſe recepit. Qua occaſione graviter commota, incepit hæmorrhagiis obnoxiam eſſe. Oportuit remedia ſuppri-

mere; ad menſes vita protracta, fatis denique ceſſit.

Ex his, quæ ingenue retulimus, ſequentia inferri poſſe putamus: quod cum cicuta interne adhibita acrimoniæ cancroſæ ſævitiem obliniat, obtundatque; externo autem ſuperius deſcripto uſu cancroſas carnes ita afficiat, ut jam putridæ ſponte decidant, diſruptis ſcilicet nexibus, quibus invicem, vel cum ſanis cohærebant partibus, cur non etiam, eodem modo, vel in dexperato Polypo cancroſo adhibenda?

Dicent, quare non vel in Polypo, qui benignæ ſit indolis? Suppoſita ea cicutæ facultate, quæ, prout effertur, morboſas carnes ita afficit, ſic digerit, à

ſa-

ſanis disgregat, ut demum ſponte ſua decidant? Aſt iis reponendum, Artem non una tantummodo via progredi ad morborum profligationem: eam inſuper non deſerendam, quæ jugi obſervatione probata eſt, donec ſaltem ſimpliciorem, ac perfectiorem alteram & temporum, & caſuum varietates confirment, vel eæ dominentur circumſtantiæ (prout in cancroſo Polypo) unde novi remedii uſus neceſſario ſuadeatur. Tunc enim lapidem quemque movere, ut quid levaminis afferatur ægro, laudi ſane ducendum.

Nobis vero, quam maxime arridet ſanior ea regula, morbos nempe ſuo magis indicato, atque comperto medio, niſi cætera obſtent, tractandos; iiſque magis

magisque artis ſubſidiis incumbendum, ut perficiantur, quæ huic principio maxime quadrant. Porrò quæ præter corporis ſymmetriam excrevere, ſui ablationem indicant. His accenſendus Polypus narium, vaginæ, uteri veſicæ, recti, qui ubique eadem noſtra ſuperius deſcripta methodo, nonnullis tantummodo pro varietate partium mutatis, (de quibus alibi) curari feliciſſime poterit, niſi ſaltem labes cancroſa comitetur. Tunc vel naturæ ipſi committendus, vel cicuta, prout præſtantius hucuſque in cancrum celebratum præſidium, adhibenda: ut ea ſaltem cancri effectus mitigentur. Equidem mitigari externo cicutæ uſu, jam aſſeruit Cel. Ettmullerus, confirmavitque

po-

poſtea exemplis multis Clariſſ. Archiater Störck.

Cæterum quicquid de inertia cicutæ nonnullis placeat effundere, econtra nos, obſervatione præeunte, eam ineſſe cicutæ vim reputamus, quæ proinde multis indigeat cautelis, tuto ut propinetur. Hinc non immerito ejus uſum commendavimus quoad fiſtulas magis rebelles edomandas (prout in tractatulo de fiſtula lacrymali nuper edito): vidimus enim in earum cura, cicutæ remedium, id virtute ſua præſtitiſſe, quod à nullo alio artis præſidio impetrare licuit. Hinc meditati, qua de cauſa interne adhibita id efficeret, probabile duximus, ut cum ad obſtructa loca perveniat, totam ibi ſuam penetran-

di

di vim pro vincendo obſtaculo exerat; quod ubi minus obtineat, aliud ſaltem præſtet, disjunctionem videlicet elementorum, unde exurgunt, nonnulla etiam interdum excitata hæmorrhagia. Sicque duras fiſtularum ſuperficies à ſanis ſejungat, protrudat, expellat: unde, quæ prius ob eas morboſas ſuperficies innaturaliter disjuncta erant, citiſſime coaleſcant.

Utique Mercurius, qui majora inter media recenſetur, non alia ſane ratione nobis ſæpe viſus eſt, hæmorrhagias in nonnullis partibus excitare, duras ulcerum venereorum ſuperficies exſolvere atque protrudere, parte sque ſanitati pro nas dimittere-

Cum


Cum vero de Mercurio opportune ſermo inciderit, non abs re monere erit, hoc remedium ſemper curæ Polypi, ſuperius deſcriptæ, adjungendum, ubicunque inter hujus præcipuas cauſas lues & venerea concurret. Poſſe vero inter ejus cauſas nonnunquam & hanc recenſeri, nemo dubitet; cum Polypis narium, ſinuum frontalium, aliarumque partium ii maxime frequentiſſime laborent, qui lue venerea infectum ſanguinem eo habent glutinoſum, ut is vena miſſus in cruſtam longe quam in pleuriticis denſiorem coaleſcat; Inſuper acrimoniam adjunctam habeat, qua vaſa corrodit, & hæmorrhagias parit, unde Polypi variis in locis erumpunt; prout ex vario, atque mul-


ti-


tiplici infectorum cadaverum examine docti ſumus.

Multa ſane, quæ id genus repetitis diſſectionibus Pariſiis, atque Monſpellii obſervavimus, erunt forte, quæ adjuvante Numine brevi exponamus; dum occaſio ſuppetet veræ Gonorrheæ cauſam, & ſedem ſtatuendi, illuſtrandi præterea celebrem, quæ adhucdum pendet caruncularum quæſtionem, nec non ad ſua præcipua Capita Urethræ, atque veſicæ morbos reducendi.




Fig. 1.
A
C
B


Fig. 2.
A
B
C
C


Fig. 3.
A
C
C